

R. K. 407, 20.

TIMURUS

vulgo

TAMERLANES.

cujus

HISTORIAM EX MO-
NUMENTIS INCORRUPTIS
EXCERPTAM

In Alma Argentoratensi Academia

DEO benè juvante,

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo Excellentissimo

Dn. JOH. HENRICO BOECLERO,
HISTORIARUM PROFESSORE CELE-
berrimo, Præceptore Patronoque Magno,
venerando,

*In solenni Auditorio, Eruditorum examini
subjicit*

MICHAEL HAIDT, Schemnicensis
Montanus Pann:

A. d. 7. Septemb. H. L. 2. S.

ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STÆDELII, ACA-
DEMIAE TYPOGRAPHI.

Anno M DC LVII.

(X1904004)

XX

II n
6864

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



1771

1771

1771

1771

1771

1771

1771

1771

1771

1771

1771





Præstantissimo Dn. Respondenti.



E pereat nobis, ne TAMERLANICA virtus
Succumbat fato, quam bene, Amice, caves?
Applaudo; & patriæ Heroas precor; ut ruat enſis
Turcicus, horrendum dispercatq; jugum.

F.

Joh. Conrad Dannhavver, D.

ARma virumque, HAIDI, Scythiæ qui sævus ab oris
Innumeros Asiæ populos, Persasque subegit
Et victum Turcam, quem ferro & carcere clausit
Dum scribis doctè, varioque ex hoste trophæa
Tractas, applaudo, veterum & FELICITER addo.

Amoris E. apposuit

Jacobus Schaller, Theol. D. &
Phil Pract-Prof.

TURcicus ad patrias, HAIDTI doctissime, portas
Annibal incumbit, viribus hostis atrox.
Ergo opus excubiis, armisque potentibus. At qua,
Imbellis, Musis suetaque, turba, daret?
Scilicet intenta, vis est quoque maxima, menti,
Virtuti & precibus. Quæ dare Musa potest.
Artibus his animum modo perfice. Sic aliquando
Fortis eris patriæ miles, in arce DEI.

Baltasar Scheid Theol. D. L.L.
Orient. Prof.

Quid tibi vis toto per barbara prælia, paucis
Gentibus exceptis, orbe potite TIMVR?

† 2

Vasta

*Vasta latrocinium, Tarageo nate bubulco,
 Pertulit & nequirit vincere terra tuum.
 Non tamen hinc laudum tibi dives adorea surgit
 Crede, quod ut rabidus devoveare canis.
 Prodidit obscenas pecorina ferocia cunas
 Qualis & in terras vix cadit ira feras.
 Ut semel emissus sylvis, quem vinitor olim
 Arcuit, in latis omnia vastat agris,
 Votaque fleturi metit unco dente coloni
 Liber & à pastu non revocandus aper:
 Sic sua quem pridem retinebat carcer HOSEINI
 Fata Tamerlanes urfit, & arma tulit
 In circumjectas, firmatus ab augure, gentes
 Et sceleris precium tanta rapina fuit.
 Mox Asia incubuit toti monstrofa virorum
 Congeries, victos diripuitque duces,
 Castraque militibus, nec salvo supplice, cassis
 Ut capitum celsus surgeret agger humo.
 Tigris & Euphrates & sanguine decolor Oxus
 Ex tabo populi subrubuere sui.
 Non etas, non sexus erat qui vincere posset
 Crudeles animos, non timor ipse DEVM.
 Jamque minus sancta nocuere precantibus aræ
 Templaque cultores destituere suos.
 Quid Syriam memorem tam vi, quam fraude subactam?
 Es memor, ô, cladis, capta Damascæ, tua,
 Es Babylon: & quam septemfluvius humor inundat
 Terra, rigaturas non modo laudet aquas.
 Tuta venenatis profugorum fontibus astu
 Memphis in antiquo stat veneranda loco.
 Quid memorem, miserande, tuas, SVLTANE, catenas
 Et caveam, & clausi corporis omne malum?
 Tu solus, pietas superesset si qua, tyranno
 Humanam poteras exhibuisse vicem.
 Et, si fata malos sinerent meliora doceri,
 Emendavisses exitiale caput.*

BOEC-

BOECLERI hæc studio descripta tueris, Amice,
Quem satius solo nomine laudo virum.
Dumque per abstrusi graueris vestigia sacri
Ac Arabum clausas, hoc duce, promissas opes:
Quid precor ingenio pro tam felicibus ausis,
Vilior ô carâ non mihi luce, tuo?
Hoc precor ut tanti SOLIS scintilla voceris.
Tutus es à tenebris, si iubar istud habes.
Et scintilla potest in lampada crescere quondam
Quæ iuuet extinctum, sole cadente, diem.

Amicissimo suo HAIDTIO
l. mq; f.

K. D. M.

*Ad Nobilissimum & Potentissimum
Dn. Respondentem.*

Quis malus in nigræ descendit viscera terræ
Primus, & effossa ferra retexit humo?
Quam ferus ille fuit, rabidos qui protulit enses,
Arteq; pestifera mortis adauxit iter.
Tum morale genus crudelia semina sparsit
Irarum, & variæ pabula sæva necis.
Inde statim fortis minitantiâ concutit arma
Nimrod, & exuvias efferus Assur amat,
Nec minus exultat magnus Chaldæus in armis,
Et quatit horrida tela facesque manu.
Dein gravis ingenti tellurem Persa timore
Afficit, Argivum dum populatur agros.
Hunc celer insequitur, viridi qui concidit ævo,
Dux Macedum, & toto Victor in orbe furit,
Vidit Roma duos animari in prælia fratres,
Vidit & extinctos Cæsaris ense duces.

Nec

Nec furor hic, nigram bellis accersere mortem
Unquam cessavit, deposuitvé minas.
Sæpe sed iratus concurrit viribus orbis
Omnibus, & dederunt clauica signa tubæ.
Nunc immanis Arabs, & Maurum barbara pubes
Enecat adversas Marte favente manus:
Successuq; ferox ipsum ad certamina cælum
Provocat, & geminos in sua bella polos.
Agmina mox Scythicus ducit contraria Timbur,
Fervida semiferi frangat ut arma ducis.
Mox quoque Christicolas bellandi dira cupido
Vexat, & in patriam vertere tela jubet.
Unde Saracenum creverunt tempore vires,
Accolaq; Odrysi robora sumsit agri.
Qui Tua præcipue conturbat rura, tuosque
Territat in curvo ferreus ense lares.
Hæc TIBI, dum patriis procul es semotus ab oris,
Atque peregrino sub Jove tutus agis,
Injiciunt stimulos, tantarum noscere rerum
Historias, casus, nomina, fata, vices.
Hæc sunt quæ patriæ das argumenta laborum,
His TIBI perpetuum stat sine morte decus,
Interea vestros servet pax alma penates,
Mittat & immites sub juga dura Getas.
Dulcis ut ante tuos sedeas conviva Parentes,
Et referas tuto suavia verba toro.
Denique doctrinæ, cujus Tibi maxima cura est,
Grandia percipias emolumenta tuæ.

F.

M. Elias Beter.

DVM tua lunigeram stringit facundia gentem,
doctaque palladius prælia miles inis.

Ingen-

Ingentes animi stimulos nutrire vidēris,
pulchraque pro Patriā robora ferre tuā:
Eja age, da cursum cæptis & fervidus insta,
& (paucis dicam) Pannonis instar ages
Successus placidos & prædam grator opimam,
quam Patriæ Cælum; det: Tibi Musa; precor.

Paucis his

Nob. & præcell. Dn. Respond. Fautori suo & Ami-
co suavissimo, de egregiis in studiis profecti-
bus applaudit, simulq; animum suum ad que-
vis officia oppignorat.

Theodorus Hasenloff.

R Ebus relictis omnibus,
Amice perfidelis;
Tropæa TAMERLANICA,
Et barbaros Triumphos,
Te non piget defendere,
Ac vendicare doctè.
Perge: impetrabis gloriam,
Et gratiam tenebis.
Adplaudo frater: apprecor
Felicитatis aulam;
Jugum procul sit Turcicum,
Procul Neronis æstra;
Et quod Tyrannus ebriâ
Caput revulsit hastâ,

Nunc

*Nunc ille tollat, omnibus
Sublimius Monarchis.*

Amico coniunctissimo f.

M. Johan. Jac. Beccius.

PUgnatum satis est. Satis? at pugnatur ubique,
Conflagrat bellis undique terra tetris.
Sanctius hoc bellum est, ciet hoc industria prudens,
Justa urget ratio, fortiter ipse moves.
Annuit è coelis suprema Numinis aura
Et bene succedit, quod regit ipse Deus.
Optimus ille est, qui præest, traditq; coronam.
Hæcce Deo debes omnia, multa Duci.

Hæcce

*Nobilissimo Literatissimoq; Dn. Respon-
denti, Cognato suo omnibus modis
devenerando, gratulabundus ad-
jecit*

Georgius Fridericus Balsbierer/
SS. Theolog. Stud.





T I M U R

vulgo

T A M E R L A N E S.



Vius viri, vt olim terror, ita haectenus fama orbem totum pervagatur: non illa quidem satis vulgo explorata, aut consertis historiae momentis explanata, sed inter securius accipientes tradentesque citra discrimen odii studiue, propagata. Inde consilium nobis, res cognitione dignissimas, ex iis repetere ac ordinare monumentis, quae auctoritatem praestare vel vnice vel praecipue possunt. Primus nominari debet Ahmedus Arabschæ filius, qui statim ab extincto Timuro floruit, multaque ad eius historiam pertinentia vsurpauit oculis, cetera è virorum eximiorum narratione aut commentariis hausit; luculentoque opere Arabico complexus est: quod Golius edidit, & nuper Hottingerus Latine fere per omnia descripsit. Post Arabschiadem, potissimum credendum videatur Johanni Schiltbergero Monacensi, qui infelici Sigismundi Regis expeditione aduersus Baiazethem captus, occasionem nactus est Persiam Arabiamq; peragrâdi, & de his ipsis Timuri temporibus memoratu digna vernaculo sermone consignandi. Proximo ponendi loco sunt annales Sultanorum Turcicorum, quos ab ipsis Turcis compositos, Latine ac Germanice conuersos Leunclaius typis commisit, & explicavit. Non eadem aestimatione metienda est interdum Græca Laonici Chalcocondylæ historia, cum ab istis discrepat. Non exigui tamen momenti sunt, quæ hinc arcessere fas est. Hos auctores sequi, & ad eos, quæ Perondinus, Richerius, Cuspinianus aliique tradiderunt, exigere constituimus.

Timur ergo vocatur accuratius scribentibus, quem alii Temur, Temir, & Temerlenc, (vnde Tamerlanes) & cum imperii

A

perii

perii nota Temur chan appellitant. Natus est in pago obscuri nominis ultra Oxum fluvium, patre Taragao, pecoris magistro: qui deinde Huseini Regis centurio, inter proceres regni ascitus est, postquam, opinor, ipse Timurus in aulam & familiaritatem regis penetrauerat. cum enim angustis adhuc patris rebus adolescentulus rapinis operam daret, ac de equis regiis abigere quosdam pararet, gravi accepto vulnere, in regiam adductus, quominus cruce facinus lueret, accuratissimis precibus filii Regis protectus est. Ferunt Regem, inspecta latronis indole, deprecanti filio praedixisse, multarum in regno turbarum hunc quandoque auctorem fore. Ex ambigua valetudine recreatum, sed altero crure debilem, inter ministeria aulica, facile industria & morum praestantia, aequalibus procerum filiis commendauit. qua ille familiaritate callide usus, de cetero etiam ad conciliandas & adiungendas sibi hominum voluntates nihil reliqui fecit: dispersis, quocumque venisset, hospitalis benevolentiae tesseriis, rebus novis, si daretur casus, materia & fautores praeparans. Qua re effectum est, ut certatim postea confluerent, qui ad maiora aspirare Timurum leui auditu acceperant. Inter familiares autem crebro commemorare solebat Auiæ suæ somnium, quæ ex nepotibus unum, qui fortunam in potestate habiturus, multumque terrarum & hominum in ditionem redacturus esset, viderat. Ille, ego sum, inquebat: vestram nunc premo dexteram, ut, quæ me cumque fortuna manet, vos adiutores, vos individuos habeam socios. Dederunt illi fidem ad quadraginta homines, quibus neque bona spes neque bona res fere erat. quamquam subinde sollicitudo incessit animo eorum ac dubitatio, cum putarent, monstri simile, virum corpore debilem, nulla rei familiaris copia, vasta consilia agitare, bella loqui, regna crepare. Igitur, ut opinione religionis, qua plerique mouentur, auctoritatem sibi aliquam compararet, celebratae sanctitatis senem, ad quem veluti ad oraculum iis locis suas res referre solebant homines, adiit, suasque illi spes, quanta potuit, reuerentia, commendauit. Miratus ille pietatem hominis (nam vestis venditæ pretio capellam emtam vati donum trahebat) ut prospere succederent, quæcumque destinasset, cum collegis rem diuinam facit. Neque Timurus cessauit ex eo, quicquid speraret, a sanctissimorum virorum precibus arcescere.

scire.

3.

fere. Inter hæc, prosperis aduersus latrones præliis, quæ missu regis subinde fecerat, tantam de se virtutis opinionem excita- uerat, ut, cum Segestanæ regulus defectionem moliretur, non alium aptiorem rex crederet, qui rebellibus opponeretur. Ac- ceptis ergo copiis regiis Timurus, cum mira felicitate profligaf- set, quotquot arma contra tulerant, sibi iam negotium gerere cœpit: militemq; victorem sacramento suo rogauit. Rex, ante- quam mora valescerent defectoris opes, exercitu missu, vltra Oxum fluuium, Timurum reiecit: & mox inter angustias mon- tium conclusum ad vltimum desperationis adigit. vnde se tali astu expediuit. Dimissis equis humi recumbere suos iussit, do- nec in prætervectos hostes repente à tergo coortus, magnam stragem edidit. Rex ad famam cladis, Balchum se recepit: at- que Timuro spatium dedit, quo plerasque vltra Oxum regiones in ditionem redigeret; & cotidiana virium accessione, ad iustæ militiæ morem, munitiora quoque adortus expugnaret. Samar- candam caput regni Ali Schirus, ab Hoseino præfectus tuebatur: hunc in societatem imperii subdole pellicit Timurus; atque se- curior iam ab hac parte, Balachsanum contendit; iunctaq; cum duobus huius dynastiæ principibus amicitia, vt arma secum ad- uersus Hoseinum sociarent, perfecit. Is Balchi mœnibus se sua- que defendere parans, cum parum ad sustinendam hostis graui- simi vim profici animaduerneret, de filiis suis obsides in manum eius tradidit. quos ille sub oculis patris interfici; ipsumque Ho- seinum destitutum à suis, & supplicem, Samarcandam abduci ibique trucidari iussit, anno Hegiræ 771, qui numeratur à Chri- stianis 1370. Balchi Regem, hunc Hoseinum Turcæ Arabesq; vocant: qui Chalcocondylæ Maslagetarum rex est. Quoscun- que autem Timurus dignitatibus ornauit & imperiis, ad modum Calipharum, quando cum Sultanis apud Arabes olim compara- bantur, non vltra, eminere voluit. ipse autem Magnus Princeps vulgo appellitabatur. Videbatur obstare adhuc singularis im- perii maiestati Ali Schirus ad societatem regnandi nuper allicefac- tus. Hunc ergo non obscuro æmulatu discordem cum per in- fidias sustulisset, certatim reliqui proceres, & reguli, in fidem eius se permiserunt. præcipuam vero auctoritatem in Seidum Barkam, nec immerito, transtulerat. eius enim ope & consilio



Touktamischem Tatarorum principem, qui magno animo successuque, Hoseini affinis & amici necem vindicare aggressus erat, deiecit. Supererant in ipsis imperii vitalibus assidua turbarum semina, per factiones volonum Samarcandæ agentium. id genus hominum ex luctatoribus fere, gladiatoribus, pugilibus, circumforaneis constabat. hi miscendis cœtibus prompti, quotiens ab vrbe paulo abscessisset longius Timurus, præfectum vrbis proturbabant, aut partium dissidiis proterue implicabant, nihil denique tranquillum & quietum satis patiebantur. cumque ab initio lenioribus remediis, ne quid in nouitate acerbius fieret, lites eorum velut iudex disceptasset sæpius, donisque & largitionibus animos emollire tentasset, tandem, vbi lenitate nihil profici intellexit, in mane consilium commentus, publico instituto epulo, ad vnum omnes, post multas insidiosæ humanitatis blanditias, interimi iussit. Cum domesticam quietem tantæ crudelitatis exemplo ac terrore videretur sibi constabilisse, foris etiam munimenta & præsidia potentiaæ cepit dispicere. Mogolenses vicini, viris armisque ea tempestate plurimum valebant. hos nullo non humanitatis genere, donis insuper & muneribus ita sibi deuinxit, vt Rex Kamereddinus homini tam forti, potenti, eadem sacra colenti, filiam in matrimonium collocare non dubitaret. Qua ille affinitate munitior, de proferendis imperii finibus enixe laborauit: facto in Chorazmiam (quæ & Chouuarezmia, & antiquitus Chorasmia) vicinis opportunam, impetu; cuius rex, Hoseinus quidam, forte domo aberat. Per vtrasque fluuii Gihon siue Oxi ripas, qua confecto tandem decursu vasto lacu excipitur, regnum hoc porrigebatur. A meridie Chorasanam, ab ortu Mauuaranaharam, desertis tamen intercedentibus, spectabat. Ad occasum solis & septentriones, Turcos habebat accolas. Vrbes magnas, dynastas præpotentes numerabat. Caput gentis Gorghanum; vbi studia literarum, poësis, musica, aliæq; disciplina magno concursu hominum colebantur. Prima irruptione, populatus late terras Timurus, plurimum prædæ ac opulentiaæ reportavit. Instructis deinde maioribus copiis, cum iterum absentiam Regis speculatus esset, ipsam vrbem Gorghanum circumsidere cepit: quæ, captiuitatis imminens mala, consilio Haseni Saurbeghi mercatoris prænobilis,

pecua-

pecuniâ redimere statuit, tantumque argenti Timuro tradidit, quantum quinquaginta muli portare poterant. Diuato igitur huius regni excidio, Geiatheddinum Hoseini Samarandæ occisi filium, Hariæ regem, bello impetere constituit. Præmissi legati, ut munera Timuro, obsequii pignus, paret, aut exitum expectet, denuntiant. Rex legatos Timuro præteriti temporis beneficia in memoriam reuocare iubet, & nonne, inquit, meis precibus infami supplicio ereptus, inter ministeria aulica assumtus, omnique à me honore & munificentia cultus est? an, ne bruta quidem animantia, à sensu beneficiorum minime aliena, imitabitur, si hominem exuit? His Timurus renuntiatis parum sane motus, Oxum traicit, regiam Geiathedдини Hariam obsidet, & ad deditiōem haud difficulter compellit. in tanta enim multitudine hominum iumentorumque, comperto Timuri aduentu vndique huc coactorum, nec disciplina, nec concordia, nec corporum sanitas durare potuit. Pepercit dedito Timurus, & ab eo in vicem seruatus est: cum enim procerum Hariæ quidam, Timuri in arcem introducti occidendi impetum cepisset, suaque morte libertatem popularium redimere destinasset, obstitit Geiatheddinus, atque in prædictionis paternæ memoriam reuolutus, fato reuerenter parendum, cuius inenitabilis fors sit, differuit. Cum in Chorasānam dehinc Timurus properaret, Segistanæ infestus, immane consilium, vlciscendi, quod his locis primæ ejus molimina quondam deprehenderat, infortunius, capit. Deditis vltro incolis, abunde benevolentiam pollicitus, vt arma traderent, imperavit. quod vbi factum, accurata inquisitione constitisset, inermes interneccione conciduntur. Hic terror effecit, vt Sobzovvaria præfectus, Timurum illuc aduentantem, omni obsequio mox muneribusque deliniendum sibi existimaret. Agebat in illa vrbe, inclytâ famâ Muhammedus Sarbedalius, qui genus ad auctorem cognominem prophetam (impostorem, inquam) referens ingenio, cōsilio, moribus inter primos in oriente suspiciebatur. ad hunc inuisendum cum venisse Timurus videri vellet, multa comitate ab eo requisivit: quo potissimum pacto arduum Chorasānæ citerioris & vltioris subigendæ negotium ad optatum posset exitum perducere? cum ille, nequaquam suæ opis esse, suadere Regibus quod oporteat, causaretur,

instare Timurus, atque, ex ipsis faciei notis indubie compertum sibi ingenium eius, asserere cœpit: iuaret ergo consiliis cupientem ac obtemperaturum. Tum in hunc modum inquit: Non ferro, si quid mihi credis, nec armis, sed consilio poteris facile ac cito tantum terrarum hominumque tibi subicere. Vnum tibi principem quibus potes officiis, adiunge, quem hæc regna habent maximum. is est Choghia Ali, prudentia, virtute, fide, merito omnibus carus & venerandus. Si, vt ad te veniat, illi persuaseris, summisque honoribus memorem gratumque futurum colueris, non est, quod de cetero verearis. Timurus, probata statim ratione tam expediti consilii, legatum ad Coghiam destinat; sed & Muhammedus eum per internuntios monet, ne dubitet ad Timurum, victorem quascunque adisset gentium, accedere, ejusque amicitiam rebus suis consulere. Coghia & monitu Seidi, & legati humanitate, tum literarum, quas attulerat, dulcedine permotus, statim se in viam dat. quem Timurus, primo obuiam missis ducum præcipuis, mox præsentem multo honore, regiisque donis delinitum, pristino imperio præponit. Secuti exemplum reliqui Chorasanae proceres vltro paruere Timuro: cuius potestas cum gloria ad vicinas mari Caspio gentes usque, veloci profectu, biennii vix totius spatio, ex quo Regem suum Hoseinum occiderat, amplificata est. Hinc Persidis & Mediæ regno, cui Schahschegahus præerat, animum adiecit; regemque tali epistola exterruit: Diuinitus sibi datum in Reges gentium ac tyrannos imperium, perpetuo hæctenus victoriarum in obstantes successu affirmari; dediti se Schahschegaho paratam clementiam, abnuenti obsequia, exitium imminere. trahere enim se, quaqua incederet, comitem cladem, vastitatem, interitum. Schahschegahum adeo perculit hæc epistola, vt imperata statim faceret, filiam suam Timuri filio vxorem offerret, ac per omnem deinde vitam conservata fide, testamenti quoque tabulas decedens illi commendaret. Sed vnde præsidium suis posteris sperauerat, inde periculum extitit. Timurus enim, orta post mortem Schahschegahi inter posteros eius discordia, obtentu testamenti tuendi, Schahmanzurum patrum interfectorem bello adortus est. Et restitit ille quidem, atque, quamuis sub ipsum prælii tempus transfugiis suorum nudatus, exigua cum manu

manu fortissime hostium vim sustinuit; donec noctis beneficio,
 absurtas iam vires dolo instaurare, integrum fuit. Immisso
 enim in castra Timuri equo, cuius caudæ ahenum alligauerat,
 tantum terroris excitauit, vt in mutuas cædes versi, ad fugam
 denique omnes se compararent. Hæsit in tergis fugientium
 Schahmanzurus, quingentis non amplius stipatus, insignique
 edita strage Timurum eo adegit, vt in agmine mulierum, quæ le-
 ge Arabum inter arma inuiolabiles habentur, veste dissimulatus,
 periculum vitæ effugeret. Sed amissis deniq; omnibus suis (vni-
 cus enim vir huic pugnae postea superfuit) Schahmanzurus
 mortuorum cadaueribus immixtus, perniciem vitare instituit.
 verum agnitus à Timuri milite, quo minus interficeretur, nullis
 precib. aut promissis impetrare potuit. Recisum à ceruice caput,
 Timurum liberauit quidē metu, sed quod viuo potiri cōcupisset,
 adeo truci ira accendit, vt auctorem cædis cum omni familia in-
 ternecione deleret. Pericula autem huius belli publicis locis ex-
 pressa ac depicta conspici, perscribi literis, edisci à pueris voluit.
 Sed hæc postea acciderunt. Interea Chorasmiam tertio aggres-
 sus, regiam diruit, impositoque incolis præfecto, spolia Samar-
 kandam deportat. Legatis quoque ad regulos, maris Caspii
 accolas, dimissis, vt plerique accederent supplices, perfecit. So-
 lus iis locis Schahvvalius restitit, fretus temeritate Ahmedi Ba-
 byloniæ Arabicæ & Adrebighanæ Principis, qui in Timurum
 insolenter verbis inuehi solitus, nihi sibi nisi in armis spei reli-
 querat. Venitur ad manus, pugnatur acriter, multum vtrim-
 que sanguinis funditur: sed victoria penes Timurum fuit. Scha-
 vvalius hac clade affectus ad Muhammedi Ghauri Reæ
 Principis opes confugit: qui Timuri maiestatem comiter sibi
 conseruandam ratus, interfecit hospitem, caputque eius ad Ti-
 murum misit. In hoc bello singularis fuit & incredibilis vir-
 tus Abubecri Schasbanitæ: qui torrentis ritu non semel copiis
 Timuri incubuit: manu, consilio & struendis insidiis vbiq;
 infestus, ne angustiis quidem locorum conclusus deprehendi
 potuit. Vnde inter Heroas inclytum eius nomen, Taabeto
 Scharraho Arabi ante Muhammedem factis claro, carminibusq;
 poëtarum postea concelebrato, comparari meruit. Subactis la-
 te vicinis, ad Ispahanenses Timur processit. à quo vrbs quidem
 Ispaha-

Ispahanum multo auro pacem redemit; per agros autem præsidia
 dispersita sunt. hæc dirum in modum, omni contumeliæ ac in-
 iuriarum genere ita vexarunt agrestes, vt miseram pacem bello
 mutandam crederent, concursuque facto ad sex millia præsidia-
 riorum occiderent. Tum vero accensus ira atroci Timurus, in
 rebelles expeditionem sumit, nullique nec ætari nec sexui par-
 cit, quin militum libidini perdenda omnia & conculcanda præ-
 beret. Ferunt, præmissum in urbem Ducem Timuri, cum im-
 mensam cædem edidisset, exoratum tandem vt reliquis parce-
 ret, iussisse paruulos per agmina in collibus disponi, si forte mi-
 serabilis facies periclitantium tot innoxiorum capitum, Timuri
 animum emolliret. Cui mox aduecto, & interroganti, quid si-
 bi vellet infeliciū ille populus, Dux respondit: Hi sunt quo-
 rum parentes tuo occubere imperio, numero & ætate & or-
 bitate, Tua, Rex maxime, misericordia digni, quam suppliciter
 implorant. At ille, nullo dato responso, equum in tenellos con-
 citauit, auersoque ab immanitate facti vultu, non destitit grassa-
 ri cum exercitu, donec equorum vngulis omnes protriti iace-
 rent. Hæc sæuitia, ei pro instrumento victoriarum fuit: cum
 Samarkandam relatis spoliis, partim per suos, partim per se, in
 vltiora, armorum suorum terrorem ac fortunam maxima cele-
 ritate proferret. Arabiæ perdomandæ dehinc adiecit animum,
 quantum temporis cum parte Armeniæ maioris & Mediæ te-
 nebat Ahmedus. cuius ducem Sabtanæum Timurus memorabili
 prælio superat, multaque præda potitus, quod supererat militiæ,
 in aliud tempus differt: obitusque velut otiosa peregrinatione
 provinciis, quas subegerat, vrbes extruit, palatia excitat, hortos
 ac viridaria disponit. inter quæ, cum aliud simularet, aliud con-
 stituisset, subito ad arma cõuersus, Lurensem prouinciam impe-
 rio suo adiicit: magnisque opibus auctus, in Hamadanæos con-
 tendit. quorum rex Mogthaba, magna vi auri, nec semel, pa-
 cem & incolumitatem emere coactus, vix imminentem sibi per-
 niciem vitauit. Quibus Ahmedus, de quo memoratum est,
 cognitis, Bagdado simul à Timurianis intercepto, quæ Babylo-
 nia hodie est, abiecta omni alia spe, in Syriam profugit, post-
 quam pretiosissima rerum, cum filio & vxore, in Collem salutis
 (munitissimæ arci id nomen est) transtulisset. Tunus, cum tre-
 centis

centis non amplius præfidiariis, locum aduersus ingentes Timu-
 ri exercitus tuebatur. duobus ergo in oppugnatione amissis du-
 cibus, lenta obsidione ceceptum est agi. qua nec ipsa post duode-
 cimum annum arx capta esset, nisi per domesticam discordiam
 excluso Tuno, Ahmedi filius impar tantæ rei, vitæ & incolumi-
 tatem pactus deditioem fecisset. Castris inter hæc ad Mauzo-
 lam positis (contra Niniuen veterum sita est vrbs) cum ingen-
 tes ex Mesopotamia prædas egisset Timurus, Diarbecram, iam
 ante excursionibus tentatam, infestus adoritur. Rex Isa Ma-
 lec-Taherus, imparatum secernens, coactis ad urbem & arcem
 Maredinam copiis, mandat, ne dederent arcem. ipse autem ad
 tyrannum profectus, obsequium pollicetur. Timurus statim
 in vincula mittit hominem, atque vt arcem Maredinæ dedi-
 caret, minaciter expostulat. cumque negaret Rex, id suæ opis
 esse, propius accedens Timurus, ni dederent arcem, captiuo re-
 gi se confestim necem illaturum, denuntiat. cum ne sic quidem
 aliquid proficeret, ingens pretium pro incolumitate regis pa-
 ctus, quem arctioribus interim vinculis onerat, milites suos ad
 direptiones circumcirca dimisit: quos hac licentiâ instigatos,
 subito per inaccessa loca vrbi Maredinæ infudit, omniaque cæ-
 dibus ac ruinis miscuit. Arcem quoque, post quintum diem,
 recipit: & in deditos, quamquam incolumitatem promiserat,
 magna cæde sæuit, non sacro, non profano abstinet: delecto que,
 cum ipsis supplicibus, templo, ac vicinis castellis subactis, ma-
 gnâ captiuorum turbam trahens, domum reuertitur, & Malec-
 Taherum nouis custodiæ incommodis affligit, donec post Distā-
 nam expeditionem libertati restitutum, munificeque donatum
 petita subdole prioris seueritatis venia, amplissimis imperiis præ-
 fecit. Habuit Distā (cuius incolæ Schiltpergerus Tartaros al-
 bos vocat) tum temporis regem Touktamischum; qui primus
 Islimicos ritus Distæis conciliasse fertur. is muneribus & obse-
 quio Timuri aduentantis animum expugnandum ratus, cum
 eius nomine vota passim suscipi, & nummos signari iussisset, ob-
 uiam procedit; atque exquisito adulationis genere ferociam ty-
 ranni demulcet. inter dona longus mancipiorum ordo, nouenis
 copulatis, incedebat: nisi quod vna tantum Mamlucorum co-
 B pula

pula octonos ligauerat. Timuro diuersitatis causam exquirenti, Touktamischnus, en me nonum, inquit. Delectatus ingenio huius blandimenti Timurus, Tu vero filius mihi, & vicarius eris, respondet ac retro vertitur. Sed non longa Distæ quies mansit. Nam Idacu Turca amicorum Touktamischi præcipuus, diffidentia & metu amittendæ potentia ad Timurum profugus, opportunitates & illecebras inuadendæ Distæ, nihil minus quàm negligenti talium consiliorum ostentauerat. Excitatus hoc infortunio ad fortiora consilia Touktamischnus, & iaculandi peritia, qua præstare suos noverat, fretus, copias contra Timurum altera vice imminentem educit. Committitur atrox prælium triduo continuo; copiisque Touktamischi, quas defectio vnus tribus iam diminuerat, in fugam versis, Distanus ager prædæ ac direptui fuit: vnde magnas opes Timurus Samarcandam cõvexit. Ne tum quidem, longum Distæ spatium ad respirandum contigit. Idacu enim, cum secessionem à Timuro fecisset, & Touktamischno reconciliari frustra cupiisset, sollicitatis ad defectionem Distanis, magnis cladibus rem Distanam afflixit: sexto autem decimo prælio, postquã varia fortuna ante certasset, Touktamischnum oppressit, suæque ditioni omnia subiecit. Timurum vero, callidissimi ingenii hominem, tam male habuit, quod Idacu à se dimisisset, eiusque astutiam sero aduertisset, ut moriendi impetum cepit. Audebant Timuri victoris opes adhuc contemnere Syriæ quidam reguli, Abulabbassus præsertim, & Borhanneddinus. Miserat legatos Timurus & literas, quibus significabat: Exercitum ira Dei creatum adesse, cui imperium decretum sit in omnes Deo inuisos; victorem, qui nulla vi repelli; vltorem, qui nulla miseratione flecti queat. promte tamen & statim ad obsequium venientibus, paratam clementiam; tergiuersantibus aut resistentibus, internecionem denuntiari. Addebantur quædam de cærimonia precum, & signo nummorum, quæ Timurus, vt pignus obedientia, postulare solebat. At reguli, legatis in frustra discerptis, finitimorum opes, & Baiazethis Ochmanidæ Turcarum Imperatoris tum maxime florentis auxilium implorarunt. cuius fiducia Abulabbassus talem ad Timurum epistolam destinavit: Desineret à veræ religionis cultoribus impius
Scytha

Scytha ea postulare, quæ ipsos parum decerent. arma sibi & animos esse, multitudine terreri nescios. itaq; vel victoriam luculentam de prædonibus barbaram feritatem vltro professis, vel certe honestam pro causa tam bona mortem se à Deo expectare. Timurus maximum sane huius repulsæ dolorem, in occasionem tamen vindictæ differendum ratus, Indiæ interim regno spoliando animum adiecit. Irritabat occasio turbatum ex morte Regis Indiæ: qui, cum improlis decessisset, procerum certaminibus distractum quassatumque regnum ad vnus tandem imperium cupide respexit. Et contigerat nouus Rex: nisi consensum cæterorum, præfectus Multanensis Scharnech-chanus, opibus armisque longe princeps, rebellio suo inutilem fecisset. Aduersus hunc ergo Timurus, quasi pro noui regis causa, immensas copias educit, urbemque Multanensem obsidere parat. Præstabat veterano milite, & elephantorum numero (octingentos tradunt) Scharnech-chanus: neque ceterarum ei rerum, quibus bellum sustentatur, quicquam deerat. quo factum est, vt triennium Timuro strenue resisteret. ad extremum astu victus est; cū Timurus, prælio indicto, murices ferreos, qua elephantos emissurus erat hostis, defodisset, quibus impactū vastum animal, inutile bello esse cœpit, versoq; in suos furore, initium cladis fecit. Quamquam alii camelorum conspectu, incensis, quas portabant, sarcinis ferocientium, turbatam elephantorum aciem tradunt. Hæc victoria, instrumentum Timuro Syriacæ expeditionis resumendæ fuit. Maximis enim diuitiis collocupletatus, cum de victis Indiæ regionibus prætorem imposuisset, audita præsertim morte Borhaneddini, assumtis Indorum ducibus, elephantisque, Samarcanda egreditur anno Hegiræ 802. (qui esset Christianus 1401.) & infestus Syriæ incumbit. Ita Arabschiades tempora notat: quæ annales Turcici citerius, in hac historia & sequentibus, ponunt. Borhaneddinum (qui aliis Burchanadin, & (cadi Burchan) Sebastia regem, Otmanus Turcomanorum quidam, prælio victum interfecerat; & mox ad ipsam urbem Sebastiam victrices copias admouerat. cum autem in filio Borhaneddini parum præsidii esset, oppidani Baiazethem (qui & Abi Iezidus) vt aduersus Otmanum suppetias ferret, exorant. Is



filium cum viginti millibus equitum, & quatuor millibus pedi-
 tum subsidio mittit. cumque iam profligato Otmano Sebastia
 se tradere filio Baiazethis vellet, ille patrem acciri voluit, rece-
 pturum in suam ditionem regnum. venisse igitur Baiazethem
 cum CLM exercitu, acceptaq; in fidem vrbi regnoque filium
 Otmani victorem præposuisse, Schiltbergerus tradit, qui expe-
 ditioni, qua soluta obsidio vrbis est, interfuit. Ex eodem di-
 scimus, Otmanum Timuri clientem fuisse, eique, vt ereptam si-
 bi è faucibus prædam Sebastia, armis à Baiazethe repeteret, per-
 suasisse. Timuri certe propositis mire conueniebat, Turcoma-
 nos, qui ad morem Nomadum, cum pecore suo modo hic, mo-
 do alibi errantes, temporariam sedem à regibus vicinis impetra-
 re solebant, addictos habere. Excitatus ergo querela Otmani,
 per legatos Baiazethem monuit, vt Otmano Sebastiam redderet.
 Sed reiectus non sine insolentia, maximo exercitu (decies cen-
 tena millia armatorum memorantur) Sebastiam petit: eamque
 post vigesimum primum diem capit. cuniculis potissimum res-
 acta. habuit enim Timurus octo fossorum millia in castris. Or-
 thobulen Baiazethis filium ibi captum, & paulo post interfe-
 ctum, Laonicus tradit. Sed nec nomen cõuenit, & fidẽ rei, multa
 sunt quæ eleuant, sicut Leunclaius ostendit. Facilius reliqua cre-
 dimus, quæ crudeliter in omnem sexum & ætatem patrata, idem
 Chalcocondyles refert. Arabschiades in præsidiarios præcipue,
 quos Baiazethes imposuerat, contra fidem datam, sævitum esse,
 auctor est. Nimirum præfectus præsidio, ne sanguis effunderet-
 ur cum Timuro pactus erat. is ergo vivos defodi captiuos, elu-
 sa conuentionis formula, imperauit. Quod cædibus superfuit
 populi, in exilium abduxit victor. in quibus ad IX M captiuæ
 virgines trahebantur, vrbs ipsa ruinis fœdata est. Amiserat Ti-
 murus in hac oppugnatione, tria militum millia. Diffusam
 longe lateque populationem esse tam numerosi exercitus, satis
 intelligitur. Recessit tamen Cheriam (sive Korabagum vocare
 maus cum quibusdam) in hyberna: sed mox ampliore, quàm
 antea exercitu in Sultanum Ægypti, cui se præsides Syriae pleri-
 que adiunxerant, mouit. Prima tempestas huius expeditionis
 in urbem Alepi (Halebum etiam & Chalepiam vocant) desæ-
 uit:

uitt:

mit: quo Syriae praefecti se cum suis copiis contulerant. Ibi de-
 liberatum est, mœnibus defendi, an in aciem prodire satius esset.
 Cum placuisset, castris in aperto positis hostium aduentum ex-
 pectare, Legatus à Timuro superuenit; quem ne auditum qui-
 dem praefectus Damasci, praecipuus ferocia inter hos praesides,
 interfici iussit. Aduentantem Timurum leui certamine excepe-
 runt: à quo postridie in urbem reiecti sunt. sed tantus fuit pavor
 fugientium, ut ad portas confertim ruentes, funera ipsi sua im-
 prouide cumularent, hostique persequenti occasionem irrum-
 pendi darent. Initium fugæ, Tamardalchus fecit, Alepi praefe-
 ctus, in occulto Timuri rebus fauens. Supererat arx, in qua
 victi receptum habuere. quæ & ipsa post dierum septendecim
 circiter obsidionem, in Timuri, incolumitatem deditis pollici-
 ti, potestatem venit. Neq; fides promisso extitit. castello enim
 exspoliato, opibusque maximis inde auectis, in captiuos vario
 cruciatu sæuitum est: adeo ut nullam urbem unquam, Timuria-
 ni militis maiorem crudelitatem & licentiam pertulisse tradant.
 Ipse Timurus, quasi iniussu suo patrata pleraque, cum fidei da-
 tæ admoneretur, excusauit. Hinc Schiltpergerus ad Antiochiam
 (Anthax) Syriae translata castra, eaque post nonum diem captâ,
 Emisam obsessam, ac quintodecimo die deditam commemo-
 rat, antequam ad Damascum copias Timurus promoueret.
 Arabschiades, postquam arci Halebiensi praepositus esset Musa
 Taganæus, Hamatham direptam, inde Emisam, nemine repu-
 gnante, captam; postea Heliopolin eodem impetu vastatam re-
 fert. Monumentum quoque marmoris incisum lingua Persica
 & in templo, Hamathæ positum, describit: quo Timurus, pro-
 lator longe lateque imperii fines, iustumque in Sultanum Ægy-
 pti bellum susceptum consignauerat. Dum ad Damascum ca-
 stra habebat, Ægypti praefectus exercitum subsidio adducit; ac
 duodecim millia armatorum in urbem immittit. varie interea
 certatum est, donec Ægyptius exercitus, simulato etiam transfu-
 gio Hoseini sorore Timuri geniti deceptus, & discordia ducum
 turbatus, terga dedit. Insecutus est Timurus Cairum seu Mem-
 phim repetentes; sed quo minus assequeretur, infecta veneno à
 fugientibus pascua & aquæ effecerunt. Legati hinc certatim
 missi

missi ad victoris opes Timuri conversam late viciniam memorabant ac obsequia deferebant. Prædarii Ægyptii Damasco impositi, cum per trimestre tempus cottidianis certaminibus cum Timuro contendissent, adempta tandem auxilii spe, innoxium abitum pacti, in Ægyptum revertere. Neque vrbs longiores moras fecit: in qua triste spectaculum ira victoris præbuit. Supplices enim omnis ordinis, ætatis, sexus in templum Omniadarum salutis causa confugere iussi, cum ipso amplissimo ædificio cremati sunt. ad XXX. millia traduntur, quos hæc calamitas absorpsit. Mandatum etiam est victoribus, ut vnusquisque virile caput occisi hostis ad Timurum afferret. quæ immanitas per triginta dies tenuit: visabanturque horribili specie extracta de capitibus interfectorum tria castella. Ad arcem, quæ Timurianos valde attriuit, plus laboris fuit. excitatum ergo est ex aduerso munimentum, quod ipsam arcem altitudine æquabat: huius demum ope post XLIII. obsidionis diem in ditionem venit. Præfectum arcis Ahmedum Schahaboddinum, militari laude in primis clarum, magno natu hominem (nonagesimum enim ætatis annum egressus erat) compedibus ferreis gravissimis excruciauit Timurus, memoria damnorum, quæ apud arcem acceperat. Inter recedendum, iteratæ vbique locorum direptiones, & in Bagdadenses omnis sæuitia effusa est. Bagdadum enim (noua Babylon est) cum portas aduentanti clausisset, magnas suæ confidentiæ pœnas dedit. cæsorum sanguine (90000. memorantur, præter aliunde ad hanc lanienam conuectos) Tigris irrubuit: constructæque de capitibus interemptorum palæstræ, detestabile barbari moris documentum exhibuerunt. Hæc expeditio immensis opibus Timurum auxit: cui iam nihil in accessum aut arduum videri poterat. Haud ægre igitur causam regulatorum, quos Baiazethes victos domo expulerat, Karamaniæ præsidem etiam interfecerat, filiis in vincula abductis, tuendam suscepit. Baiazethes ille Turcorum princeps, quem Gilderum, siue fulmen, Græci autem Λάλαπα turbinem, à celeritate bellandi appellitabant, admirandis successibus fines imperii protulerat, nec Europæ tantum infestus imminebat; sed Asiæ regulos complures, in his, etiam Timuri clientes quosdam domue-

rat

rat eieceratque. His apud Timurum confugium fuit, precantibus: ne sui generis homines innoxios neque quicquam contra fœdera ausos, impune vexari fineret. datum propterea illi Asiæ imperium, ut iniurias suorum atque contumelias vindicaret. Ad illum se patrem, ad illum patronum respicere vnicum, aiebant. Timurus per legatos primum & literas rem gessit aliquotiens repetitas, quibus Baiazethem monuit: restitueret in regna, inique pulsos; & si quid deliquisse conuincerentur, legibus vltro pœnas duros. In Mahumetanæ potius cærimoniam inimicos arma verteret, quod hætenus magna cum laude fecisset: ab innocentibus autem & cognatis manus abstineret. Sultanum Ahmedum & Kora Josephum, turbatores pacis & prædones, imperii sui finibus eiiceret, aut captos interficeret. nollet denique, iusta negando irritare illam tempestatem, cui hætenus nemo non succubisset. Baiazethes ferociam temerarius nihil pacati respondit: vestis quoque dono missæ munus, ut ab impari profectum insolentet spreuit; negans, minis se terreri. desineret conferre Baiazethem cum aliis barbarorum regibus, quibus vel imbellia sua, vel intestina dissidia, vel doli certe non arma Timuri exitio fuissent. sibi & assuetudine bellandi & spe melioris post mortem conditionis, virtutem in promptu esse, neque fortunæ se hætenus pœnitere. Et, quando quidem arma minitaretur, veniret, aut ter repudiatas in matrimonium vxores reducere cogeret. idem sibi ut infortunium contingeret, precari, si aduentum eius perhorresceret aut defugeret. His Timurus cognitis, exarsit, belloque aduersus Baiazethem decreto, literas dimisit, insolentiam hostis & necessitatem vindictæ demonstrantes. iis inter alia hoc quoque continebatur: quod Baiazethes nomen suum aureis scriptum literis Timuro præposuerit; & in quadam epistola, etiam Timuri nomen Tahartano, quem in famulis ille numerabat, postposuerit. Rebus ergo domi compositis, & nepoti ex filio traditis, exiit Timurus cum exercitu numerosissimo: quem ad centum myrades Græci, Schiltpergerus longe maiorem fuisse tradit. centum enim & octoginta myriades numerat. Obstabat in Turcorum fines ituro arx inter munitissimas toto orbe celebris: aquis vndique cincta, & Euphratis præsertim torrente præ-

lepta.



Septa. Camach nomen est castello. ad quod aditum sibi arbori-
 bus iactis molitus Timurus, ignibus repellitur. lapidibus igitur
 impletus torrens transitum præbuit scalas applicantibus. De-
 ditam arcem, strenuoq; præfecto commissam, à tergo munimen-
 tum habere, præcipui consilii fuit. Incidit hæc expeditio in an-
 num Hegiræ 804, qui Christianis est 1403, & finitur tertio post
 anno, iuxta Arabschiadem, à quo non abeunt multum, quæ Le-
 unclavius putat. Obsidebat hoc tempore Baiazethes Constan-
 tinopolim, & devictis ante complures annos Hungaricis & Gal-
 licis suppetiis, funesto illo ad Nicopolin prælio, parum à capiēda
 vrbe aberat: cum de adventu Timuri nuntius affertur. Soluta
 igitur statim obsidione, & assumtis in commilitium Tartaris, ex-
 tra fines imperii sui Timuro parat occurrere. Sed ille effusis in
 Turcarum regiones copiis, post multam populationem, apud
 Ancyram tandem castra ponit, vbi ad vltimum discrimen res de-
 ducta est. Timurus astu non minus quàm armis rem gerere so-
 litus, occultis nuntiis Tartarorum duci persuaserat: ne Baiaze-
 this dominationi aduersus homines eiusdem familię ac nationis
 suum sanguinem commodarent; sed à victore cognato tum ce-
 tera ingentia præmia, tum sedem in his opulentis locis perpe-
 tuam expectarent. Illi ergo fidem strenue simulantes, Baiaze-
 thi, à quo euocati erant, abunde pollicentur: sed mox sub ipsum
 discriminis tempus sublatis signis ad Timuri castra transeunt.
 De numero non consentiunt scriptores. Schiltpergerus 30000
 nominat: alii 18000, corrupto tamen, vt arbitror, numero tra-
 dunt. Si enim tertiam partem exercitus Baiazethis constitue-
 runt, quod & ipsum memoratur, ne tum quidem satis magnus
 ponetur numerus, si 180000 scribentur. Secessio Tartarorum
 fregit ceterorum animos: & quamuis Europæus miles duce præ-
 fertim Despota Seruiæ strenue rem in prælio gereret, cum tamen
 Timuriani inualescerent, in Asiaticis nihil præsidii fuit. Ef-
 fusa suorum fugâ ipse etiam Baiazethes abreptus, apud monta-
 na tamen cum quinque millium manu restitit, captus subinde à
 Timurianis insequentibus & ad victorem perductus. Hunc ca-
 sum Baiazethi omnia quædam prænuntiauerāt, quibus non ma-
 gis tamen, quam consiliis opportune suggestis motus, relicta
 omni

omni proba administratione militiæ, ad prælium concitato te-
 mere impetu festinauerat; admirante Timuro audaciam viri, ne-
 que frustra, Turbinis illum cognomine notari, increpante. Fe-
 runt, eum secundæ fortunæ illecebris inescatum, plura & maio-
 ra audendo, quam consulendo geri, dictitasse: sed neque fieri
 posse credidisse, vt Asiatica arma (Timuri) Europæum Princi-
 pem vincerent. insigni documento, quam periculose ratioci-
 nentur historias & casus præteriti temporis, qui euentus tan-
 tum, non euentuum rationes causasq; in consilio habent. Exce-
 pit captiuum Timurus honorifice, cumq; humi in eodem tapete
 secum cõsidere iussisset, memorabile colloquium orsus, multum
 inquit, debemus Deo, qui mihi quidem claudo, ab India usque
 ad Sebastia portas; tibi autem itidem debili, à Sebastia in Hun-
 gariam, imperium tradidit. Si totius orbis opes dispertire voluis-
 set, quid claudo & debili maius potuisset dare? sed tu fortasse
 mentis parum erga Deum gratæ pœnas nunc luis. Multa au-
 tem prorsus humane fecit dixitque Timurus erga Baiazetem,
 quæ scriptorum inuidia oblitterauit aut in contrarium vertit. Ta-
 le est, quod vxori Baiazethis; cõtumeliæ causa ad cyathum mini-
 strare præceperit. quam Timurus nullius plane contumeliæ er-
 go in conuiuium venire, & assidere, vinumque, quod probro
 apud Scythas minime habebatur, infundere iussit. Illud quo-
 que, quod de cavea ferrea circumfertur, dissimulatis fere initiis
 & causis rei traditur. Cum enim, aliquando insolentissimum
 hominem & ferocissimum Timurus interrogasset, quid me fecis-
 ses, si in tuam potestatem ita peruenissem, sicut tu in meam? re-
 spondit ille, cauea te inclusum ferrea circumtulissem, quoquo
 castra mea promota essent. Tum demum exasperatus Timurus
 clathris ferreis ad modum sellæ fabrefactis eum inclusit: neque
 tamen, ut falso asseritur, multis annis circumduxit, cum anno
 insequente, nec occisus à Timuro, qui sperabat fore, vt redime-
 retur à filiis, sed ægritudine indignantis animi, cum Samarcan-
 dam se deductum iri intelligeret, vitam finierit. sic quoque cre-
 bris alloquiis captiui sui fortunam solari perseuerauit Timu-
 rus; neque consilia eius aspernatus est. Suaserat ei, ne Tarta-
 ros in his regionibus relinqueret, quas eis præmium defectio-
 nis,

nis, ut diximus, pollicitus erat; fore enim, ut nouis rebus assidue studerent. Paruit Timurus, & fraude inductos Tartaros, secum in intima imperii traxit. In Musulmanos quoque minus sauire coepit, postquam Baiazethes maiorem ex clementia fructum ostenderat. Nec minus ab arcibus quibusdam Turcicis, & templis asylishque diruendis temperauit, ubi, ut id faceret, à captiuo rogatus erat. Ceterum hac victoria Timuri nihil est illustrius: quam Deus singularibus momentis ad Turcicas opes, quæ tam veloci progressu hactenus ad terrorem gentium euauerant, retundendas voluit pertinere. Offerobatur sane Christianis per ea quæ consecuta sunt, exoptata occasio perdelendi immanissimum hostem, cognatis iam armis fractum; nisi susceptam tempestiuam expeditionem dissoluti moris licentia corrupisset, cladesque nostras iterum pudendo dedecore cumulasset. Post hunc tam incomparabilem successum, Timurus, expugnatis etiam Caraghæorū munitissimis castellis, & pecunia satis ingenti exacta, domum reuerti statuit. Samarcandæ anno Hegiræ 807. magnifice exceptus, totum se reipublicæ administrationi dedit; mitiorque quàm antea, visus, postquam ad sauiora consilia relapsus est, exitium sibi hoc eodem anno maturauit, sicut postea dicetur. Futuram viri magnitudinem ostenta quædam denuntiauerunt. Qua natus est nocte, cassis ignea volauit per aerem, campisque patentibus impacta dissilire, ac incendia per urbes agrosque circumferre visa est. Ipse in lucem editus, plenas atro sanguine manus extulit: crebro, nec vnquam fallace, magnarum calamitatum à tali partu imminentium, indicio. Nec defuerunt, qui satellitem, latronem, lanium, carnificem denique, talibus notis portendi crederent. Timurus ipse, cum adoleuisset, magna hinc omnia sibi plusquam animose interpretatus est. Nihil prius habuit & antiquius, postquam imperium adeptus est, quam ut præsentis statu tranquille omnes fruerentur. Hæc præfectis, hæc iudicibus mandata. Scortationes, patibulo; furta, cruce puniuit. Duabus autem rebus potentiam & incrementa fundauit ac sustentauit, religione & studio armorum. Ubique Legis Gngis-Chanicæ reuerentiam præferebat; & ad Deum auctorem successus suos referebat: conseruatis sæpe, cum reli-

qua

qua deleret, templis; sæpe & passim extructis. Islimismo tamen deditos, præsertim ante victum Baiazethem, infestis odiis persecutus, ab iis vt impius haberi & Deo inimicus, meruit. Non minus enim Mahummedani Islimici, Gings- chanicis; quàm Judæi, Samaritanis infensi sunt. Sed cessit maioribus cupiditatibus subinde religionis studium: vt &, fidei. quam singulariter iactare consueverat, Deique se imaginem, seruanda fide, referre gloriabatur. Sed, qui immensis opibus parandis totos se ac pertinaciter dederunt, omnes reliquos titulos, vtut inter instrumenta regnandi assumptos, in secundis habent. hinc totiens fides violata, neque quicquam consequendæ dominationis nefas habitum. In re militari, Romanorum disciplinam accurate seruauit: distributis per castra contuberniis, præpositis decanis, vt nemo peregrinus aut explorator locum, quo se reciperet, inueniret, facileque à circumeuntibus vigilibus deprehenderetur. capitale enim & militibus erat, tempore, quo in contubernia conueniendum fuit, extra tentoria oberrare. In oppugnandis urbibus ac munimentis, modo vineas pluteosq;, in quibus scalæ erant, rotis impellebat: modo coronâ loco circumdatâ, aggeres excitabat altitudinem mœnium æquantes: interdum cuniculos fodiebat, ligneis fulturis tantisper sustentans murum, donec igne subiecto vnâ ruinâ cum lignis inuoluerentur. Astu & excogitatis celeriter ac varie cõmentis plurima confecit. Inter mira ejus machinamenta, pæne fidem superat, quod apud antrum quoddam Caraghæorum vsurpauit. Edita rupes erat, in cuius medio, aditus in speluncam, tantum à terra recesserat, ut nec telum adiici, nec scala admoueri posset. Timurus ergo captas audacissimis militibus repletas, catenarum serie ita suspendit, vt ex aëre oppugnata antri porta, obsessos cum multa præda caperet. Amorem literarum singularem præ se tulit: in historia præsertim rerum Orientalium & Africanarum eximie versatus. Sapientes ubique secum circumduxit, honoribus affecit, consuluit: multa captiose interim & subdole requirens, ad quæ nec silere, nec respondere promptum esset. Medicis & Astrologis plurimum obediebat. Arab- schiades nominatim recenset, quos in quaque arte præstantes Timurus habuerit, & eruditos.



rebus conspici voluit. Samarcandam igitur splendidissimis ædificiis exornauit: nulloque non genere hominum impleuit. huc artifices, huc raritate notabilia opera vndique conuexit. Specimen immensæ opulentia cerni potuit in nuptiis nepotis Timuri, quas non multo ante obitum suum celebrari voluit. Locum tam solenni spectaculo quæsiuit, non procul Samarcanda distantem: in quo natura, quantum ad amœnitatem conferri posset, experta videtur. Ibi regibus, præfectis, ducibus, iudicibus, vndique conuocatis, longa serie spatia distributa; quibus tentoria figerent auro gemmisque fulgentia, omnique æmulantium industriâ adornata. Timurus ipse pretiosissima Asiae & Europæ spolia non alias magis ostentauit. Samarcandenses pro se quisque dona afferebant: & artificiosis spectaculis animos oculosque tenebant. Partem celebritatis non modicam legati multarum gentium impleuere. Adiecta conuiuio amplissima dona, fidesque omnibus facta; immensas Timuri opes neminis magnificentia aut splendore superari posse. Qui sub ejus imperio erant, magni etiam reges & principes, munera oblaturi, veniam ad eundem minus stantes præstolabantur: qua per internuntium impetrata, proni in terram, flexo poplite, vt quisque nominatim vocatus erat, arcepebant. Præter summi imperii vocabula, variis titulis & honoribus gaudebat. Dominum septem climatum, possessorem terræ & maris, victorem regum & Principum, appellabant. Quin & nomen eius sanctius prædicabatur, quàm vt iurandi causa, aut omnino cuiusquam è vulgi ore enuntiaretur. Probabat enim ipse adulatorum ingenia; non in conuictu tantum, sed in historia etiam & libris: nihil potius desiderans, quàm incomparabilis & viri & Principis famam. quare & res à se gestas omnibus prætoriis, palatiis, ornamentis consecrari, & artificum labore designari curauit. Ingenio fuit sagaci, veloci, profundo: magnis semper cogitationibus immerfus, iudicio non facile deceptus, memoria non destitutus. coniectendi de futuris, tanta in eo facultas fuit & felicitas, vt commercio dæmonum sæpe tribuerentur, quæ præfagiebat. Plurima etiam per emissarios & exploratores nullis non locis dispositos, cognoscebat, quæ ad neminis notitiam emanare posse credebant.

debantur. Vndique autem ad se perscribi iubebat, quæ publice priuatimque euenissent, quæ ad hominum singulorum, locorumque notitiam pertinerent. cuius generis pleraque & coram requirebat, quoquo venisset. Miri in dissimulando ingenii, semper alia minabatur, alia contendeat. Ad celeritatem, calliditatem, laborem, cuius patientissimus erat, suo exemplo exercitum indurauerat: quem ad omnia promptissimum habuit. Sui plerumque iudicii, inter ardua tamen, consiliis suorum uti non dedignabatur. Ne secundis rebus exultare videretur, plerumque cauit: aduersis utique indomitum animum nunquam non ostentans. Audacissimo cuique præcipua præmiorum decreuit. Ita enim euenire necesse est, omnia ad militiam, & infinitæ dominationis licentiam referentibus. Hinc iustitia, cuius videri volebat studiosissimus, in sæuitiam; constantia, in pertinaciam subinde degenerauit. Adeo quippe in omnibus rebus, cupidine seueritatis truculentus fuit, ut suorum quoque animos efferreret, & aduersus omnem misericordiam induraret. Ita non præferuida tantum, sed insanabilis; cum suspicionibus & vindictæ studio coniuncta. Itaque, quos cœpit semel odisse, plerumque ad vitæ finem afflixit. Quæ res etiam ipsi exitium tandem, fatali iustitia attulit. Alladadus erat, egregius vir, quem Timuro inuisum fecerant diuitiæ, bonæ artes, & ingens apud omnes auctoritas: accessit calumnia criminantium opes eius, tanquam Syriacis spoliis interuersis in tantum auctas. Cum perdere hunc hominem Timurus destinasset, frustra que caput eius periculis obiectasset, armis tandem opprimere statuit, cuius virtus & prudentia insidiis non patebat. Iam victor tot terrarum, imperio vndique stabilito, congestis infinitis gazis, frui per quietem poterat, cum reuoluens odia pristina copias cogit, & aduersus Alladadum expeditionem parat. Non inclementia hiemis impetum eius retundere poterat, quin cum numerosissimo exercitu egrederetur. Alladadus, in se conflari illam tempestatem, vel hinc intellexit, quod Timurus eum iusserat, centum camelos onera portare solitos cum farina obuiam mittere: id quod fluminibus gelu constrictis nulla humana ope effici posse videbatur. Tentauit sane, vicinorum præfectorum implorato auxilio,



si molarum vsus, excisa glacie, posset restitui. Quæ res eos frustra habuit. deprecatus igitur Alladadus iussa, quibus non sufficeret, ingentem pecuniæ summam tyranno offert; ac subinde, instigantibus amicis & implacabilem Timuri animum ostendentibus, exuere obsequium constituit. Sed Timuri imminentis furorē ita castigant anni tempestas, ut attrita & consumpta frigidibus maxima exercitus parte, ipse etiam Timurus, nequicquam medicorum, quos præstantissimos habebat, ope adhibita, extingueretur, anno Hegiræ 807, s. Christiano 1406. Octogenario maiorem fuisse, probatissimis documentis constat. ne quis Lonicerum, & reliquos incertiora secutos audiat. Annos regni quadraginta, Annales Turcici ei tribuunt. Corpore traditur valido, statura eximie procera, latis humeris, digitis & cruribus crassis, barba promissa. Vxores quatuor in matrimonio habuisse fertur. quatum vnā interfecit, vel quartam; vel, ut verisimilius est, primam. quam Laonicus Hoseini regis, quem occidit, viduam fuisse tradit. Filij eius memorantur, Gheban Kehir, ex quo nepotem vidit Sultanum Mahummedem tantis ingenii dotibus, ut successorem sibi destinaret Timurus, voto frustratus, ac nepoti superstes: Schahrochus, qui in prælio aduersus Baiazethem fortiter dimicauit: Amiran schahus, qui ausus est patri in India bellanti scribere: rectius facturum senem, supremis iam propinquum, si relictis negotiis aliis, sacris vacaret; filiisque & nepotibus, ad res gerendas jam per ætatem idoneis cetera committeret. si quotquot fuerint reges diuitiis aut gloria vinceret, moriendum tamen esse, desineret crudelitate & superbia uti, nisi Deum & homines, ipsosque filios vellet ultores expectare. Percipit tamen, quod mirandū erat, filio Timurus, & in eos tantum iram effudit, qui eum contra patrem extimulauerunt. Schahrocho quatuor filii tribuuntur: è quibus natu maioris Vlugbeki nuptiæ eo splendore, de quo ante dictum, celebratæ sunt. Imperii partem, vnde in omnia regimen, Chalilus Amiran schahi filius, qui morienti Timuro auo adfuit, adeptus, facilitate & clementia populorum animos ad bonam spem erexit. Sed deficientibus passim præfectis, multis bellis iactatus, cum sapius vicisset, in exilium tandem eiicitur, vbi versibus Persicis scribendis otium

dis otium tolerauit, fortunæque suæ vices descripsit; donec à patre Scharochō reductus Rex præficitur, non ita multo post extinctus. Amiranſchahum Adrebighanæ regno & vitæ Kora Juſeph priuauerat. Schahrochum melior fortuna multorum rebellium victorem, & regnorum dominum conſtituit, diuq; conſeruauit. Diem enim ſuum obiit anno Chriſtiano 1447. Ad patris tamen imperii magnitudinem non aspirauit: detractis vndique de tam magno corpore membris, cuius contextus denique proſus diſſiluit. Timuro apparatusſimum funus Chaliſ fecit: decretis etiam, vt gentis ſuperſtitio fert, lectionibus, precibus, eleemoſynis, quaſi leuamento futuris deſuncto. Memoria eius omnis honor habebatur. Vota nuncupare, efflagitare ab eo, quæ quiſque proſpera cuperet, multis ſolenne fuit. Reges & Principes, apud ſepulcrum eius, genua flectebant; ex iuſſu mentis deſiliebant, nullumque reuerentiæ genus omittebant. In tanti viri hitoriã aliena quædam intruſa ſunt: quædam etiam non tam incorruptis rerum geſtarum monumentis, quam rumoribus & famæ debentur. In quibus conducendis ſi verſarer, operæ me facturum pretium, haud exiſtimaui. Tale eſt, vt obiter aliquid attingam, quod de Abi-Iezido ſeu Baiazethe Turcarum Imperatore Arabschiades refert: cum militem, qui lacte repletam ſcutellam mulieri conquerenti ſe eripuiſſe negabat, diſſecari iuſſit, & hauſti lactis indicia requiri. cum præconiõ: ſic datur ei, qui ſub imperio regis iuſti Othmanidæ, rem alienam inuadit. Quod de tentoriis candidis, quibus ſucceſſerint coccinea, indena nigra, quotiens obſideret urbem aliquam Timurus, magno conſenſu commemoratur, id ſicut apud Scriptores, quos mihi ſtatui ſequendos, non reperi, ita conſtanti fama (neque enim literis omnia immo pauciſſima Timuri, annotata ſunt) ad poſteros perueniſſe, non tamen vt de perpetuo more, ſed vt de re aliquando uſurpata, haud ægre crediderim. Verum, ſua cuique prudentia dictabit cautiones, quibus in eius modi negotio vti fas eſt.

COROL



COROLLARII LOCO
adjecta.

I.

An Timurus probabili ratione motus, Philosophiam Graecam Auicennae iusserit cedere, decretis contra illam editis, quod Arabschiades tradit?

II.

An Timurus merito potentiae suae fundamentum in Gingschanica religione constitutum putauerit?

III.

Quid in Vberti Folietae dissertatione, de causis magnitudinis Turcicae, desiderari queat?

IV.

An Imperium Turcicum accurate & proprie loquendo sit mera Tyrannis?


V.

An titulus erepti à Turcis Constantinopolitani imperii instam belli causam Christianis praebeat?

VI.

An consultum sit Turcam hodie bello adoriri, per modum passagii, aut per modum angustioris foederis?

F I N I S.



Went

ne

perii nota T
nominis vlt
qui deinde
est, postqua
regis penet
scentulus ra
dam pararet
minus cruce
protectus et
canti filio p
doque aucto
altero cruce
morum pra
qua ille fam
& adiungen
speris, quoc
novis, si dar
fectum est, v
Timurum l
commemor
num, qui fe
rum & hom
sum, inque
que fortun
cios. Dede
que bona s
licitudo inc
stri simile, v
sta consilia
ne religioni
compararet
culum iis lo
spes, quant
pietatem ho
vati donum
nasset, cum
eo, quicquid

ago obscuri
is magistro:
egni ascitus
militaritatem
rebus adole
pigere quos
ductus, quo
s filii Regis
dole, depre
hunc quan
creatum, sed
industria &
mendavit.
onciliandas
ui fecit: di
esseris, rebus
. Qua re ef
ora aspirare
atem crebro
nepotibus v
mque terra
rat. Ille, ego
ua me cum
habeam so
, quibus ne
subinde se
tarent, mon
tis copia, va
t, vt opinio
sibi aliquam
eluti ad ora
it, sua sq; illi
Miratus ille.
llam em tam
cumq; desti
s cessavit ex
cibus arces
lere

